



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Casparis Ziegleri De Episcopis eorumq[ue] juribus,  
privilegiis, & vivendi ratione, Liber Commentarius**

**Ziegler, Kaspar**

**Norimbergæ, 1686**

IIX. De potestate ordinandi ministros Ecclesiæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61543)

*mifistis populos imperitos, ut quia lota est columna, lavarentur & corpora. Si in his rebus consilium latet, miseros subtiliter decepistis. Si talis res sine consilio gesta est, manifesta est vestra bebetudo &c.*

## CAP. VIII.

### De Potestate ordinandi ministros Ecclesia.

#### I.

**P**otestas hæc qualis sit, & quâ ratione solis Episcopis cesserit tandem, sufficienter explicavimus *lib. 1. cap. 3.* Summa dictorum est, nihil hic præcipui habuisse olim Episcopos, quod non haberent etiam presbyteri; tandem verò illos abstulisse his istam potestatem, sibi que solis eam vindicasse, & quidem per circumventionem atque fraudes. Nec ergò ferendum est, si quis dicere velit, irritam esse ordinationem à presbytero factam, quanquam illicita esse possit, si accesserit prohibitio legis Ecclesiasticæ. At verò cum potestas illa five *δύναμις* jure divino competat tam Episcopo quàm presbytero, ut maximè *ἐξουσία* per legem Ecclesiasticam restricta sit, non tamen propterea omninò nullum erit, quod contra legem istam factum fuerit. Quemadmodum prohiberi potest, ne quis doceat publicè, qui non sit in ordine Professorum; si tamen tale quid ausus quis fuerit, doctrina ab eo tradita non poterit dici omninò nulla. Sed ista prolixius jam *d. l.* explicata repetere hic perquam erit tædiosum, cum præsertim & consuetudine introductum deinceps, & lege Ecclesiasticâ confirmatum sit, ut non nisi ab Episcopo ordinationes fierent.

II. Hoc tamen addo, per prohibitionem istam Ecclesiasticam non posse adimi facultatem ordinandi presbytero, jure divino ei competentem, nec posse adeò dici, ordinationem ab eo factam prorsus esse irritam, aut taliter ordinatum verè ordinatum non esse, quandoquidem facultas illa, quæ jure divino competit, inhiberi quidem potest, ne in exercitium transferatur, ita tamen auferri non potest, ut non sit, aut ut non efficax sit, si de facto contra prohibitionem exercita fuerit. Hoc autem constituere potest Ecclesia, ut qui ita contra prohibitionem ordinatus fuerit, sacerdotio careat, nec ad officium Ecclesiasticum admittatur, quemadmodum etiam Episcopis, quibus sine dubio & ex omnium concessione potestas ordinandi competit, si quando contra statuta majorum aliquos ordinaverint, interdiceret potest, ne deinceps potestate hæc suâ utantur. Hoc enim est, quod legitur in decretis Concilii Taurinensis *c. 3.* Proinde *judicavit Synodus, ut si quis ex hoc fecerit contra statuta majorum, sciat is, qui ordinatus fuerit,*

sacer-

sacerdotii se honore privandum: ille verò, qui ordinaverit, auctoritatem se in ordinationibus vel in conciliis minimè retenturum &c. Quà ratione Comiti Palatino, qui potestatem creandi Doctores habet ab Imperatore, inhibere quidem potest Princeps Imperii, ne in territorio suo tales creet Doctores, potest etiam cavere, ut, si creatus aliquis de facto fuerit, non fruatur privilegiis Doctoris; sed non potest facere, ut taliter creatus, Doctor non sit, aut Doctoris nomen illi non queat dici collatum.

III. Negari tamen nequit, à multis retrò seculis, & quidem ab illo tempore, quo *avâ Garis* ista Episcoporum, uti vocat Chrysostomus, firmata fuit, nullas ferè in hoc negotio relictas fuisse partes presbyteris. Imò verò etiam Episcopum privari hâc suâ potestate crediderunt, si quando dejectus à sede suâ fuisset. Nota est controversia, quæ seculo nono in Ecclesiâ Remensi oborta fuit de ordinationibus factis ab Ebbone Archiepiscopo Remensi post dejectionem suam. Condemnatus is erat anno DCCCXXXV. ab Archiepiscopis octo, & Episcopis triginta quinque, in Synodo apud Theodonis-villam à Ludovico Pio Imperatore convocatâ, ob crimen majestatis, quod commiserat, dum partes Lotharii secutus, Ludovicum ejus patrem acerrimè insectatus fuit, indictâ etiam pœnitentiâ publicâ. Post dejectionem non cessabat ille ordinare Clericos, vacante scil. Ecclesiâ Remensi per integrum decennium. Cui deinceps cum suffectus fuisset Hincmarus, disputari cœpit de Clericis ab Ebbone post dejectionem ordinatis, utrum eorum ordinatio valida esset. Nec tamen inde aliqua petebatur ratio dubitandi, quod ordinem retinisset, & ab officio tantum remotus fuisset, sed longè alia, quæ in facto contigerant, movebantur dubia, strictim explicata à Dn. Baluzio in not. ad Rabani Mauri epist. quàm ille scripsit ad Heribaldum Episcopum Autissiodorensis, pag. 598. Præsupponebant igitur & pro certo habebant utrinque, non potuisse Ebbonem post dejectionem validè ordinare, si iusto iudicio & canonicè condemnatus fuisset. Provocassent autem sine dubio, qui ordinationes defendebant, ad ordinem, quem retinuit Ebbo, si sufficere eum putassent. Sed pergendum nunc est ad alia.

IV. Dixi in capite antecedente, prolixum examen tum de eruditione & industriâ, tum de vitâ & moribus promovendi præmissum fuisse, antequam quis ordinaretur. Eum in finem decretum fuit in Concilio Meldensi c. 52. Qui ex nostris parochiis aut ad titulum aut absolute ordinari petuntur, nullatenus ordinentur, nisi aut in Clero certo & religioso, vel etiam in civitate saltem uno anno immorentur, ut de vitâ & conversatione atq; doctrinâ illorum certitudo possit agnosci. Notos scilicet, & in publico versatos esse oportebat, qui ministerio Ecclesiastico adaptari volebant, ut quæ eorum vivendi esset ratio, quæ conversatio, qui mores, quæ doctrina, quæ disciplina, testimonium haberi posset. Nec alia fuit procedendi ratio cum illis, qui aliunde venien-

tes ordinati jam erant, & in ministerium transferri atque intitulari cupiebant. De quibus hoc extat decretum in Concilio Liptinenfi c. 4. Statuimus etiam, ut secundum Canonicam cautelam omnes undecunq, venientes ignotos Episcopos vel presbyteros, ante probationem synodalem in Ecclesiasticum ministerium non admitteremus. Et in Concilio Suesionensi c. 5. Statuimus, ut supervenientes Episcopi vel presbyteri de aliis regionibus non suscipiantur in ministerium Ecclesie, nisi prius fuerint probati ab Episcopo, cujus parochia est.

V. Expleto ita temporis spacio, quod Candidatis ministerii præfixum erat, & ubi jam satis probati credebantur, ad ordinationis actum fiebat transitus. Hic verò ne careret solennitatibus, ab Archidiaconi comitatu incipiendus erat, qui & ipse de qualitatibus ordinandorum certior fieri debuit. Archidiaconos enim ad Ordinationis actum promovendos adduxisse patet ex Hincmari Remensis Capitulis, quæ Archidiaconibus presbyteris præscripsit n. 11. Sollicitè providete de vitâ & scientiâ Clericorum, quos ad ordinationem adducetis, ne pro aliquo munere tales ad ordinandum introducat, qui introduci non debent, quoniam Simoniacum est. Et talis processus describitur in Concilio Suesionensi II. añ. 6. cùm disquireretur de Halduino, qui ab Ebbone Episcopo Remensi diaconus, & à Lupo Episcopo Catalaunensi presbyter sine examine fuerat consecratus. Surgens enim idem Lupus Episcopus porrexit volumen, in quo continebatur, Quia metropolis Remorum Ecclesia carebat pastore, jussus est regiis literis domini Karoli, ut suæ matri Ecclesie pro sua possibilitate in Ecclesiasticis negociis consulere procuraret. Quâ de re cum epistolâ Regiâ ut eundem fratrem nomine Halduinum & presbyterum ordinaret, & Abbatem monachorum in monasterio Altvillarum sacraret, Archidiaconus Remensis Ecclesie, cum aliis ministris tam Canonicis, quam Monachis, eundem illi ad ordinandum in gradu diaconi ad presbyterium obtulit; quem secundum consuetudinem, quam in offerendo ordinandus ex canonica & monasteriis ipsa Metropolis Ecclesia habebat, ordinandum suscepit, & ad votum præcipientis principis & offerentium ordinavit.

VI. Nimirum Archidiaconis aliquando hoc cesfit officium, quod Episcopis & presbyteris olim competiisse supra dixi, ut scil. reliquos Ecclesie ministros informarent, & ad ministerium Ecclesiasticum habiles redderent, eosq; ita præparatos ad Episcopos ducerent, & suo testimonio ordinationem procurarent. De Ostiariis clara sunt verba Concilii Carthaginensis IV. c. 9. Ostiarius, cum ordinatur, postquam ab archidiacono instructus fuerit, qualiter in domo DEI debeat conversari, ad suggestionem archidiaconi tradat ei Episcopus claves Ecclesie de altario, dicens: Sic age, quasi redditurus DEO rationem pro his rebus, quæ his clavibus recluduntur. Hinc adeo Innocentius III. in descriptione officii, quod Archidiaconus gerit, c. 7. X. de offic. Archidiacon. inter alia refert: In quâdam nostrâ constitutione jam aliâ vice nos meminimus

expressisse, quod institutio corporalis tam super beneficiis, quam etiam dignitatibus, ad ipsum debeat pertinere: examinatio etiam Clericorum, si fuerint ad sacros ordines promovendi: Hoc idem in collationibus beneficiorum credimus observandum: ut qui beneficiis Ecclesiasticis praeficiendi fuerint, a suo prius examinentur archidiacono, & per ipsum postmodum Episcopo presententur.

VII. Inter Canones Concilii Nicæni, quos ex Arabia accepisse se jactat, & in Latinam Ecclesiam invexit primus Franciscus Turrianus, noti nominis Jesuita, sexagesimus hanc continet sententiam: *Si qui sunt ex diocesi ad sacerdotium, id est, ad sacros ordines eligendi, primum quidem adducendi sunt ad Episcopum, postea examinent eos Archidiaconus & Choëpiscopus, & videant an idonei, & intelligenter legant Scripturas, & an sciant leges Sacerdotales & statuta Ecclesie. Qui si fuerint verè approbati, quod ipsi sciunt ista, sintque verè digni sacerdotio, & a DEO, qui novit secreta, electi orabunt pro eis orationem solitam, ut fiant digni remissione & accipiant indulgentiam. Postea adducendi sunt ad Episcopum, ut imponat eis manus, & benedicat, eosque ordinet &c.* Nihil est in his verbis, quod repugnet vel analogiæ fidei vel solennitatibus & ceremoniis in Ecclesiâ aliquando receptis. Alias enim *10. d. 1. c. 1.* vitio laborant canonis illi, quos supra viginti produxit Ecclesia Arabica, aut qui ejus auctoritatem obtendit, Franciscus Turrianus. Et subdubitare licet, utrum ævo eo, quo celebratum fuit Concilium Nicænum, cognitum hoc fuerit ministerium Archidiaconorum. Interim tamen certum est, noviori Ecclesiæ placuisse hoc Archidiaconorum officium.

VIII. Et hæc quidem partes Archidiaconi interveniebant tùm, quando ordinandi erant presbyteri & alii Clerici inferiores. At si Episcopus ordinari debuit, ad Metropolitanum & Coëpiscopos provinciales spectabat examen, & omne id, quod circa reliquos expediri debuit ab Archidiacono. Dixi eâ de re *lib. 2. cap. 8.* Presbyteri enim, licet sint Sacerdotes, Pontificatus tamen apicem non habent, ut ait Theodulphus Aurelianensis *in lib. de ord. baptismi cap. 17.* Episcopi autem dignitatis apicem habent, atque ideò eminentiæ titulo aliquando claruerunt, qui hodiè solis Cardinalibus ex instituto Urbani VIII. & præterea Archiepiscopis Moguntino, Colonienfi & Trevirensi tribuitur. Atque ideò non major tantùm scientia requiritur ab eo, qui ad Episcopum promoveri cupit, sed morum etiam integritas major, major industria, examen rigorosum magis & majores etiam tùm in præparatione, tùm in ipso ordinationis actu solennitates. Sic enim longo usu receptum fuit, ut quo unum, quodque majus est, majore etiam cum celebritate id peragatur, & majore cum apparatu.

IX. Quod igitur ordinationes attinet, longo usu receptum fuit in Ecclesiâ & quamplurimis decretis confirmatum, ut ad ordinationem Episcopi, si plures haberi non possent, tres saltem Episcopi alii, aut ex eâdem,

aut

aut ex aliâ vicinâ provinciâ, unâ cum metropolitano convenire deberent. Ejus rei testimonia produxi *lib. 2. cap. 9.* Quibus addi potest, quod in Concilio Carthaginensi III. disceptatum atque decretum fuit, & habetur in Codice Canonum Ecclesiæ Africanæ c. 49. HONORATUS ET URBANUS Episcopi dixerunt: *Et illud nobis mandatum est, ut qui proximi fratres nostri Numidiæ duo Episcopi ordinare presumpserunt pontificem, non nisi à XII. censeatis celebrari episcoporum ordinationes.* AURELIUS Episcopus dixit: *Forma antiqua servabitur, ut non minus quàm tres sufficiant, qui fuerint destinati ad Episcopum ordinandum propterea, quia in Tripoli fortè, & in Arzuge interjacere videntur barbara gentes, nam in Tripoli, ut asseritur, episcopi sunt quinq; tantummodo, & possunt fortè de ipso numero vel duo necessitate aliquâ occupari, difficile est enim, ut de quolibet numero omnes possint occurrere, nunquid debet hoc ipsum impedimento esse ecclesiastica utilitati? Nam & in hac Ecclesiâ, ad quam dignata est vestra sanctitas convenire, crebro ac penè per diem dominicam ordinandos habemus: nunquidnam frequenter duodecim potero, vel decem, vel non multo minus advocare Episcopos? sed facile est mihi duos adungere meæ parvitatì vicinos. Quapropter cernit mecum charitas vestra hoc ipsum observari non posse.* Erant Honoratus & Urbanus Episcopi Mauritanix Sitifensis Legati, quæ erat provincia præfidiâ sub Vicario Africæ, atque illi in mandato habebant, ut in Concilio ampliorem aut majorem numerum Episcoporum ordinationum ad majorem ordinis auctoritatem comparandam expeterent. Sed Aurelius Episcopus Carthaginensis difficultates exponit, & quod vix fieri possit, ut tantus Episcoporum numerus convenire ad cujusvis Episcopi ordinationem queat, scitius proinde esse, ut forma antiqua servetur, quæ non nisi ternarium numerum exigat, ut adeò sufficiat, duos Episcopos unâ cum Metropolitano aut primatu præsentibus esse, & ab eis ordinationem peragi.

X. Poterat igitur ad ordinationem Episcopi quivis alius Episcopus etiam extraneus concurrere. Dum enim Episcopus quis est ordinatus, simul accepit potestatem ordinandi alios. Sed tamen, qui extra provinciam sunt, non nisi requisiti & volentes congregabantur; comprovinciales autem, nisi vis major impedierit, adesse præcisè & ex debito oportebat. Sic enim decretum in Concilio Agathensi c. 35. *Si metropolitanus Episcopus ad comprovinciales Episcopos epistolas direxerit, in quibus eos aut ad ordinationem summi Pontificis, aut ad Synodum invitet, postpositis omnibus, exceptâ gravi infirmitate corporis, aut præceptione regiâ, ad constitutam diem adesse non differant. Quod si defuerint, sicut prisca canonum præcipit auctoritas, usq; ad proximam Synodum, charitate fratrum & Ecclesiæ communionem priventur.* Idem repetitum in Concilio Epaonenfi c. 1. *Primâ & immutabili constitutione decretum est, ut cum Metropolitanus fratres vel comprovinciales suos ad Concilium aut ad ordinationem cujuscunq; consacerdotis crediderit*

diderit evocandos, nisi causâ tādii evidentis extiterit, nullus excuset. Idem in Concilio Aurelianensi II, c. 1.

XI. Et hæc quidem ita circa ordinationes Episcoporum obtinuerunt. In ordinationibus autem presbyterorum, itemque diaconorum & reliquorum inferiorum Clericorum necesse non fuit, ut plures convenirent Episcopi, sed sufficere creditum fuit, si unusquisque à proprio suo ordinaretur Episcopo. Et de hoc agit canon secundus Apostolicus, uti vulgò dici solet: *Presbyter ab uno Episcopo ordinetur, itemq; diaconus & reliqui clerici.* Itemque canon sextus Concilii Hispalensis II. *Episcopus sacerdotibus & ministris solus honorem dare potest, auferre solus non potest.* Uni tamen & soli Episcopo dum adscribitur potestas ordinandi non propterea excluditur Collegium presbyterorum, cujus præsentia omninò necessaria est ad hunc actum perficiendum, nisi quod proratione officii committendi diversitas aliqua ceremoniarum introducta fuit. Diversitas ista describitur in Concilio Carthaginensi IV. c. 2. 3. 4. 5. seq. Quia enim officia Ecclesiastica paria non sunt, sed unum altero sublimius est, atque hinc gradus introducti fuerunt, quis velit asserere, ad ordinationem acolythi, lectoris aut ostiarii easdem ceremonias adhiberi oportere, quæ adhiberi solent in ordinatione Episcopi? Servus servo potior est, inquit Aristoteles *lib. 1. polit.* & sic etiam in ministerio Ecclesiastico alius alio præstantior. Vid. apud Gratian. *c. ult. dist. 89.*

XII. Quapropter noluit Ecclesia iisdem ceremoniis omnium Ministrorum ordinationes peragi, sed alias in ordinatione Episcopi, alias in ordinatione presbyteri, in ordinatione diaconi alias, & sic deinceps adhiberi voluit. *Episcopus cum ordinatur, sunt verba canonis secundi dicti Concilii Carthaginensis IV. duo Episcopi ponant & teneant Evangeliorum Codicem super caput & cervicem ejus, & uno super eum fundente benedictionem, reliqui omnes Episcopi, qui adsunt, manibus caput ejus tangant.* Et Can. 3. *Presbyter cum ordinatur, Episcopo eum benedicente, manum super caput ejus tenente, etiam omnes presbyteri, qui presentes sunt, manibus suas juxta manum Episcopi super caput illius teneant.* Can. 4. *Diaconus cum ordinatur, solus Episcopus, qui eum benedicit, manum super caput illius ponat, quia non ad sacerdotium, sed ad ministerium consecratur.* Can. 5. *Subdiaconus cum ordinatur, quia manibus impositionem non accipit, patenam de Episcopi manu accipit vacuam & calicem vacuum.* De manu verò Archidiaconi urceolum cum aquâ & mantile & manutergium. Et sic de cæteris. Nec dubito in omnibus istis ordinationibus specialem ab Episcopo sermonem habitum fuisse ad populum, ut, quid ageretur, ab omnibus perciperetur, utve populi preces ministerii precibus jungerentur. De Lectore disertè id annotatum legitur can. 8. *Lector cum ordinatur, faciat de illo verbum Episcopus ad plebem, indicans ejus fidem, ac vitam atque ingenium.*

A a a a

Post-

Post hæc, spectante plebe tradat ei codicem, de quo lecturus est, dicens ad eum: Accipe & esto Lector verbi DEI, habiturus, si fideliter & utiliter impleveris officium, partem cum eis, qui verbum DEI ministraverunt.

XIII. Ipsi actui ordinationis certa olim præfixa fuerunt tempora, quæ religiose observavit posteritas. Non passim, inquit Leo Papa in epist. ad Episcopos provincie Viennensis c. 3. Sed die legitimo ordinatio celebretur, nec sibi constare status sui noverit firmitatem, qui non die Sabbathi vespere, quod lucefcit in primam sabbathi, vel ipso Dominico die fuerit ordinatus. Solum enim majores nostri resurrectionis Dominicæ diem hoc honore dignum judicarunt, ut Sacerdotes, qui sumuntur, hoc die potissimum tribuantur. Sic & Gregorius II. Papa in epist. 4. ad Clerum, ordinem, & plebem Thuringorum: Ordinationes presbyterorum, sive diaconorum, non nisi quarti, septimi, & decimi mensis jejuniis, sed & in ingressu quadragesimali, atque medio vespere sabbathi noverit celebrandas. Pariter Zacharias Papa in literis, quibus respondet Bonifacio Archiepiscopo ad proposita quædam dubia, hoc etiam, quod destinatis diebus ordinationes ab eo peractæ non fuerint, hunc in modum emendatum cupit: De ordinatione etiam presbyterorum & diaconorum, cogente necessitate & paupertate rogantium non legitimis temporibus & diebus à te promoveri, te offensionem incurrisse insinuasti. Dicimus autem tibi frater, ut bene nosti, quod sacri canones docent, aptis temporibus sacerdotes ordinandos. Attamen in eo, quod à te propter Zelum fidei actum est, à Domino DEO nostro indulgentiam postulamus. Non dicit, ordinationes istas esse irritas & planè nullas, sed solum veniam à DEO petendam esse propter transgressionem legis Ecclesiasticæ.

XIV. Ad sacros canones provocat Zacharias, quos tamen non alios esse puto, nisi quos ex literis antecessorum sibi construxit ejus temporis Ecclesia. Ante eum enim in Concilio aliquo tale quid constitutum aut decretum fuisse, nullibi apparet. Nec alia ad rem præsentem testimonia producere potuit Gratianus sub dist. 75. Ipse Leo Papa alibi, epist. nempe 81. ad consuetudinem provocat, sed cujus originem frustra ex scripturis quaerit. Verba ejus hæc sunt: Quod ergò à patribus nostris propensiore curâ novimus esse servatum, à vobis quoque volumus custodiri, ut non passim diebus omnibus sacerdotalis vel Levitica ordinatio celebretur, sed post diem Sabbathi ejus noctis, que in primam Sabbathi lucefcit, exordia deligantur, h. e. sub lege divini officii substituantur, in quibus his, qui consecrandi sunt, jejuniis & à jejunantibus sacra benedictio conferatur. Quod ejusdem observantia erit, si manè ipso Dominico die, continuato Sabbathi jejunio, celebretur, à quo tempore præcedentis noctis initia non recedunt, quam ad diem resurrectionis, sicut etiam in pascha Domini declaratur, pertinere non dubium est. Nam præter auctoritatem consuetudinis, quam ex Apostolica novimus venire doctrinâ, etiam sacra Scriptura manifestat, quod cum

Apo-

Apostoli Paulum & Barnabam ex præcepto Spiritus S. ad Evangelium gentibus mitterent prædicandum, jejunantes & orantes imposuerunt eis manus, ut intelligamus, quanta & dantium & accipientium devotione curandum sit, ne tanta benedictionis Sacramentum negligenter videatur impletum &c. Nihil, inquam, agit Pontifex, dum ex Scripturâ sacrâ probare conatur, specialia Apostolos observasse tempora in conferendis ordinibus. Jejunantes & orantes dicuntur Actor. XIII, 3. imposuisse manus, sed quo tempore, quo die, aut horâ id factum fuerit, ne verbum ibi reperitur.

XV. Putavit tamen Leo singulis diebus Sabbathi, aut Dominici ordinationes peragi posse & debere. Gelasius verò, qui eum secutus est, ipsos etiam illos dies limitavit magis & ad certa tempora restrinxit. Hæc enim sunt ejus verba, quæ refert Gratianus d. dist. 75. c. ult. Ordinationes presbyterorum & diaconorum nisi certis temporibus & diebus exerceri non debent, id est, quarti mensis (qui est Junius. Nam à Martio primum mensem numerarunt Christiani) jejunio, & septimi (Septembris) & decimi (Decembris) sed etiam quadragesimalis initii, ac mediane hebdomadæ, & Sabbathi jejunio circa vesperam ipsas ordinationes noverint celebrandas, nec cujuslibet utilitatis causâ seu presbyterum seu diaconum his præferre audeant, qui ante ipsos fuerint ordinati. Rationem communiter reddunt istam, quia his temporibus solennia observantur jejunia, & à jejuniis atque jejunantibus ordines conferri debere sacra doceat pagina. Sed jejunia illa potissimum propter ordinationes tum temporis celebratas, observata fuisse, testatur Rabanus Maurus de Instit. Cler. lib. 2. c. 24. ubi docet, idcirco tam strictè jejunia illa servata fuisse, quod Gelasius constituerit, illis diebus ordinationes presbyterorum & diaconorum fieri debere, mansisse igitur eam observationem, etiam cum non celebrarentur ordinationes. Quid verò de jejuniis illis sentiendum sit, videri potest Johannes Dallæus in erudito de jejuniis & quadragesima libro.

XVI. Quod igitur consuetudine primum coepit, & liberè ab initio receptum fuit, verum est deinceps in necessitatem, ita ut vix toleraretur alibi consuetudo contraria, quanquam consuetudinis ea sit natura, ut intra suos limites consistat, neque consuetudinem aliam contrariam alibi receptam destruat. Sed fuit tamen hæc sententia Alexandri III. Pontificis, qui c. 2. §. de temp. ordinat. Episcopo Herfordensi ita rescribit: Sanè super eo quod moris esse dixisti in Ecclesiis quibusdam Scotie & Wallie, in dedicationibus Ecclesiarum vel altarium extra jejunia quatuor temporum, clericos ad sacros ordines promovere. Significamus, quod consuetudo illa (utpote institutioni Ecclesiasticæ inimica,) est penitus improbanda, & nisi multitudo & antiqua consuetudo terre esset, taliter ordinati non deberent permitti in susceptis ordinibus ministrare: nam apud nos sic ordinati deponerentur, & ordinantes privarentur aucto-

ritate ordinandi. Non audet Alexander eos, qui aliis temporibus ordinati sunt, pro non ordinatis habere, aut ab officio prorsus remove, consuetudinem tamen ipsam improbat, eamque institutioni Ecclesiasticæ inimicam & detestabilem esse dicit, uti habetur in antiquâ decretali apud Antonium Augustinum. Cur verò detestabilis? quia scilicet discedebat à consuetudine Romæ receptâ & decretis Pontificum confirmatâ. At verò in causis disciplinæ unaquæque Ecclesia peculiare suas consuetudines retinere potest, quæ tamen fidei contrariæ non sunt, nec propterea rumpi debet fraternæ concordie vinculum, nec injungi isti Ecclesiæ, ut aliud à consuetudine suâ diversum recipiat. Optimè Augustinus *epist. ad Casulanum*: In his rebus, in quibus nihil certi statuitur Scripturâ divinâ, mos populi DEI vel instituta majorum pro lege tenenda sunt: de quibus si disputare voluerimus, & ex aliorum consuetudine alios improbare, orietur interminata luctatio. Et Hieronymus *epist. ad Lucinium* 28. Illud breviter te admonendum puto, traditiones Ecclesiasticas, præsertim, quod fidei non officiant, ita observandas, ut à majoribus traditæ sunt: nec aliquorum consuetudinem, aliorum contrario more subverti, apud Gratianum c. 5. dist. 12.

XVII. Eadem Alexandri III. verba decretali suæ epistolæ inseruit Cælestinus III, quam scripsit ad Episcopum Hydruntinum in Apuliâ. In quâ dubitavit, annon reordinari deberet, qui extra tempora in Latinâ Ecclesiâ constituta ordinatus fuerat. Partem ejus decretalis compilationi suæ inseruit Gregorius IX. c. 9. §. de temp. ordinat. & quidem valdè concisam. Præstat eam ex antiquâ decretalium collectione II. eod. tit. totam hic exhibere. *Cum secundum Ecclesiasticas regulas & sanctorum instituta Pontificum sacri sunt ordines in certis temporibus conferendi, quidam Græci Episcopi ritus sui & consuetudinis observantiam in Latinos Clericos exercentes, eos ad sacros ordines passim provehant, qui non sunt, præterquam in quatuor temporibus conferendi. Sanè sicut latoris presentium Johannis relatione cognovimus, quod enim ipse à quodam domino, cui servierat, & ut in capellâ suâ divina officia celebraret, cuidam Græco Episcopo foret presentatus, idem Episcopus Cathamarsensis eum in Sacerdotem promovit, quem postmodum diocesanus Episcopus ab executione officii vel suscepti ordinis credidit suspendendum. Que utiq; consuetudo consuetudini (institutioni, dixerat Alexander supra d. l.) Ecclesiasticæ inimica & detestabilis est, & penitus improbanda, & nisi multitudo & antiqua consuetudo esset in causâ, sic ordinati non deberent permitti in susceptis ordinibus ministrare. Nam apud nos sic ordinati deponerentur, & ordinantes auctoritate ordinandi de censurâ canonum privarentur. Verum quia nos plenam de Græcorum observantia notitiam habere non possumus, nec est nobis certum, utrum consuetudo sic se habeat, quod in partibus Calabriae ut Latini à Græcis & Græci à Latinis secundum alterutrius institutionis observantiam ordinentur, & an sit antiquitas obser-*

observatum, s. tuæ, qui discernere melius ista poterit ejusdem Johannis judicium diximus committendum: per Apostolica s. m. & potestatem tibi auctoritate præ. indulgentes, ut cognita diligentius veritate & observantiâ consuetudinis, si qua super his à Latinis Clericis recepta est, & hætenus approbata; vel si tibi apparuerit aliter decernere de ipso Johanne, quod cum salute animæ suæ poteris cess. ap. diffugio statuere, non moreris, studiosius attendens, utrum reordinandus sit, an sine periculo animæ suæ in sic recepto ordine debeat celebrare, addito si quid noverris in supplemento ordinis adjungendum. Nolumus autem de cætero commixtionem rituum & consuetudines ordinum observari, nec summi ab aliis in exemplum, si cum isto duxeris misericorditer dispensandum.

XVIII. Difficulus videtur Pontifex istam admisisse dispensationem, nec, nisi constiterit de consuetudine in Calabriâ, quod Latini à Græcis & Græci à Latinis secundum alterutrius populi ritus ordinentur. Apud Græcos namque ex consuetudine, sacri ordines passim quolibet die extra quatuor tempora conferebantur, uti patet insuper ex c. 1. & 3. collect. 3. eod. Illi igitur etiam Latinos presbyteros sibi præsentatos secundum consuetudinem apud se receptam quolibet die ordinabant, & vicissim Latini Græcos sibi præsentatos juxta suæ Ecclesiæ ritus consecrabant. Id verò Pontifici videbatur valde absurdum, & subdubitat proinde, annon reordinari taliter ordinatus debeat, cui ministerium in Ecclesiâ Latinâ commissum fuerit, præsertim si *ἀποστασία* illa consuetudo probari nequeat. Idcirco totum negocium committit judicio Archiepiscopi Hydruntini. Etsi verò Innocentius III. deinde reprehendat Episcopum Latinum, qui sibi subjectum presbyterum à Græco Episcopo Græcorum more ordinari permittit, negat tamen, ita ordinatum ab executione officii debere suspendi, aut aliter ordinari. Si verò, inquit, de mandato vel licentiâ sui Præsulis à Græco Pontifice secundum morem Græcorum fuerit ordinatus, licet culpandus sit Episcopus Latinus, qui Clericos suos à Græco facit antistite ordinari; quamdiu tamen talis mos ab Ecclesiâ toleratur, impediri non debet ab executione ordinum taliter susceptorum. c. 11. §. de temp. ordinat. Ex quo consequitur, stata ista tempora, quæ in Latina Ecclesiâ observantur, esse ex constitutione Ecclesiasticâ, non ex jure divino, nec si observata illa non fuerint, ordinationem propterea esse irritam, aut invalidam. Noluit tamen idem Innocentius lib. 4. epist. 148. eum, qui statuto tempore ad sacerdotium promotus fuerat, exequi ea, quæ diaconalis essent ordinis, si constet, eum statuto tempore non fuisse ordinatum diaconum. Sic igitur majore ordine subsistente, minorem diu antea exercitum extingui & expirare contigit, cujus, non efficacia olim aliqua esse potuerit, merito dubitare hinc licet.

XIX. Cæterum à primis Ecclesiæ incunabulis nulla magis repetita fuit lex, quam ea, quæ de ordinatione gratis faciendâ ab ipso Spiritu S. promulga-

mulgata fuit. Sic enim objurgaverat ex ore Petri Spiritus S. Simonem Magum, potestatem supernaturalem sibi emere volentem: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum DEI existimasti pecuniâ possideri. Actor. VIII, 20.* Inde Simonia dicta fuit hæc nundinatio, quæ directo ipsum Spiritum S. gravi afficit contumeliâ, & propterea ab ipso primo acri & asperâ istâ censurâ notata fuit. *Vivit Spiritus S.* inquit Apollinaris Sidonius *in concione*, quæ habetur *lib. 7. post epist. 9.* omnipotens *DEUS noster*, qui *Petri voce damnavit in Simone Mago, cur opinaretur gratiam benedictionis pretio se posse mercari.* Eam deinceps & canonibus & legibus multifariam compescere conata est Resp. Christiana, quod propter avaritiam, quam plurimis Sacerdotibus quasi innatam & naturalem, nunquam coerceri satis promptè potuerint Simoniaci, & semper recruduerit istud vitium gravissimis licet pœnis subjectum. Et dantem & accipientem remotione ab officio punit Concilium Chalcedonense c. 2. Secuta in eandem sententiam sunt Concilia multa alia, quorum aliqua etiam anathematis vinculum addiderunt. Legi eâ de reinprimis meretur epistola Tarasii Patriarchæ Constantinopolitani, quam specialiter scripsit ad Adrianum Papam Romanum, *de non faciendis pecuniâ ordinationibus.* Et quia prolixè de hoc vitio egimus *lib. 2. cap. 5.* repetere hic eadem, profus erit superfluum & satietati adversum.

XX. Insuper aliud quiddam exigere ab ordinandis prohibentur Episcopi. Seculo namque nono invaluerat, ut juramenta exigerentur ab illis, qui ad ministerium Ecclesiasticum promoveri cupiebant. Et juramenta quidem ista vel desidiam & ignorantiam Episcoporum, vel ἀλαζονείας eorum arguebant. Id namque colligitur ex formulâ juramenti, quam his verbis recensuit & prohibuit Concilium Cabilonense II, c. 13. *Dictum est interea de quibusdam fratribus, quod eos, quos ordinaturi sunt, jurare cogant, quod digni sint, & contra canones non sint facturi, & obedientes sint Episcopo, qui eos ordinat, & Ecclesie in quâ ordinantur. Quod juramentum, quia periculosum est, omnes unâ inhibendum statuimus.* Nolebant Episcopi de habilitate promovendorum examen instituere, vel quod vile id sibi videretur nimis & abjectum, aut etiam quod fastidirent planè istud scrutinium, vel quod inhabiles & indocti essent ipsi, & profus inidonei ad examen tale subeundum. Ne ergo nihil egisse viderentur, utque canonibus veterum utcunque latis fieret, conscientia ipsorum ordinandorum id committebant, eosque jurare cogebant, dignos se esse, qui ad officium Ecclesiasticum promoverentur, nec velle se contra canones quicquam facere. Sanè noluit Justinianus Imperator *novell. 6. c. 1.* ab Episcopo ordinando promissionem talem sub juramento fieri, sed sufficere putavit, si pollicitus fuerit ille, servare se velle leges Ecclesiasticas, quoad ejus fieri possit. *Et si quidem, inquit, ille declaraverit, & dixerit præcepta sacrarum regularum non se valere servare, nullo modo ei ordina-*

dina.

dinationem imponi. Si verò susceperit, & dixerit, quia quantum homini est possibile, complebit hæc, quæ bis continentur, tunc monere eum & dicere, quia nisi hæc observaverit, & à DEO alienus erit, & cadet à jam dato honore. Obedientia verò, etsi debeatur Episcopo à quibuscunque inferioribus ordinibus, non tamen ea per juramentum inunctum est exigenda. Meminerint enim illi, se majores esse non dominos, & ob id inferioribus non tanquam subditis dominantur, sed quasi clericos honorent & diligant: & tales sint, qui non solum præsent, verum etiam profint. Hæc namque est differentia, inter Regem & Episcopum, si utriusque eminentiam consideres, quod ille nolentibus præsit, hic volentibus, uti alicubi loquitur Hieronymus. Eleganter Bernhardus lib. 2. de confid. ad Eugenium: Nec enim tibi ille (Petrus) dare, quod non habuit, potuit: quod habuit hoc dedit, sollicitudinem, ut dixi, super Ecclesias. Nunquid dominationem? audi ipsum; non dominantes in clero, sed formâ facti gregis. Et ne dictum solâ humilitate putes, non etiam veritate, vox Domini est in Evangelio: Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur, & infert: Vos autem non sic. Planum est, Apostolis interdicitur dominatus. I ergò tu, & tibi usurpare aude, aut dominans Apostolatam, aut Apostolicum dominatum. Planè ab alterutro prohiberis; sicutrumque similiter habere velis, perdes utrumq.

XXI. Possem hic finire hanc tractationem, & ad alia stylum convertere, nisi me ad fontes respicere juberet toties resuscitata hodiè controversia de ministro ordinationis Sacerdotalis, & de potestate ordinandi, quibus ea competat. Episcopus enim solis dum id jus adscribitur, & quidem ita, ut si à presbytero tale quid factum fuerit, id omni prorsus destituatur efficacia, dubium non est, non ἐξουσία tantum, sed ipsam etiam δύναμιν Presbyteris denegari, sed quam illi non habent ab Ecclesiâ, sed ab ipso DEO in actu propriæ suæ ordinationis collatam, vi mandati & promissionis divinæ Apostolis declaratæ: Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos. Et similis missionis ab Apostolis deinceps per alios factæ. Tit. I, 5. 2. Tim. II, 2.

XXII. De hæc potestate anticipavimus dicere nonnulla, cum libro. I. de differentiâ, quæ est inter Episcopos & presbyteros, & libro 2. de consecratione Episcopi, ageremus, quæ hic repetenda sunt. Etsi autem ordinationis actus ad substantiam ministerii Ecclesiastici simpliciter & absolute necessarius non sit, ita ut ne quidem tempore eo, quo ordinatio fieri nequit, (uti obsidionis aut pestis tempore contingere aliquando potest,) legitime ab Ecclesiâ vocatus ministerio suo fungi non possit, nisi ejus præcesserit ordinatio; ritus tamen iste omitti pro lubitu nequit, tum propter antiquam Ecclesiæ Apostolicæ consuetudinem, quæ solita fuit per preces & impositionem manuum personas legitime vocatas à reliquo populo segregare & DEO

DEO consecrare; tum etiam propter salutare fines, ut admonetur scil. populus, DEUM per hanc personam & ejus ministerium velle ipsos docere, exhortari, consolari, à peccatis absolvere, & viam ad salutem atque æternam beatitudinem monstrare.

XXIII. Nec tamen ordinari ad ministerium debet quisquam, nisi ad certum jam ante vocatus fuerit officium, eique idoneam se præstiterit. Ordinatio enim est vocationis complementum & consummatio, quâ deficiente nec ordinatio locum habere potest. Atque idcirco caverunt antiqui Canones, ne quis sine titulo aut absolute ordinetur. *Neminem absolute ordinari, prohibuit Concilium Calchedonense can. 6. nec presbyterum, nec diaconum, nec quemlibet omnino eorum, qui sunt in ordine Ecclesiastico, nisi specialiter in Ecclesiâ civitatis, aut vici, aut martyrio, vel monasterio, qui ordinandus est, prædicetur. Eos autem, qui absolute ordinantur, decrevit sancta synodus irritam haberi ejusmodi ordinationem: Nusquam posse operari ad injuriam ejus, qui ordinavit.* Gratianus, dum *sub dist. 70. canonem hunc recenset, inserit vocabulum suæ, hoc contextu: nisi manifeste in Ecclesiâ suæ civitatis, sive possessionis &c.* Ex quo conficit glossa, sufficere titulum patrimonii, ut quis ordinari queat. Perperam omnino! cum leopos istius canonis hic sit, neminem debere ordinari *ἄπολελυμένως*, h. e. sine certo loco, quando locum nondum habet, in quo munus suum exercent. Haud ergo quisquam ad ordinationem admittendus, nisi constet, quod per vocationem ad certam aliquam Ecclesiam destinatus fuerit, cum nec ulla Ecclesia potestatem habeat mittendi Doctores ad aliam, quæ in missionem non consentit.

XXIV. Hæc ordinandi potestas, si institutum Apostolorum consideres, toti competit presbyterio. Timotheo enim, cum in ministerium Ecclesiæ inauguraretur, non à solo Paulo, sed etiam à reliquis presbyteris manus impositas fuisse, ex ipsius Pauli verbis colligere licet, *1. Timoth. IV, 14. Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum in presbyterii, ἡ δὲ ἰσχυρία τῶν χειρῶν ἔστιν ἐπιθεμένη.* Presbyterium igitur, quod manus imposuit Timotheo, integrum fuit Collegium Sacerdotum ex Episcopis & presbyteris constans, titulo & jurisdictione in hoc actu nequaquam distinctis. Etsi namque in quamplurimis codicibus tam MS, quàm excusis, non *presbyterii* (*πρεσβυτερίου*), sed *presbyteri*, (*πρεσβυτέρου*) personali aliquâ denotatione legatur, uti collatione institutâ demonstratum dedit Johannes Seldenus *de synedr. vet. Hebr. lib. 1. cap. 14.* quæ tamen prostant inter Romanenses editiones celebriores, pleræque omnes *presbyterii* vocabulum continent, eamque lectionem etiam sequuntur Romanæ monarchiæ & Episcopalis eminentiæ vindices acerrimi Bellarminus atque Baronius. Et verò videretur verborum istorum contextus turbi-

turbidus quodammodo & involutus, si *πρεσβυτερος* vocabulum de ipso Paulo loquente & ad Timotheum scribente accipi & explicari deberet, cum præsertim ipsum etiam vocabulum *μετὰ* causam sociam ordinationis innuere videatur. Et non solum Paulum, verum etiam presbyteros Paulo assistentes Timotheo manus imposuisse, argumento esse potest actus similis, qui in ordinatione Pauli & Barnabæ celebratus fuit, *Actor. XIII, 1. seq.*

XXV. Cæterum, quæ ita in tali genere expediuntur, nomine & auctoritate totius Ecclesiæ peragi censentur. *Omnia enim vestra sunt*, inquit Paulus *1. Cor. III, 21.* Ecclesia itaque tota sicut eligit & vocat ita censetur etiam ordinare ministros, non una duntaxat vel altera persona. Exsequitur autem & expedit ordinationem propter *εὐαγγελιστήριον*, per ministerium, in quo præcipuus est, & Directoris partes sustinet, Episcopus, qui tamen propterea officio suo fungitur non privatâ suâ, sed publicâ auctoritate, nomine scilicet voto, auctoritate, & approbatione totius Ecclesiæ. Atque sic totus iste actus est totius Ecclesiæ, executio verò illius actus fit à personis Ecclesiasticis ministerium constituentibus, & inter has principaliter ab Episcopo. Ita Paulus ordinavit Timotheum *2. Timoth. I, 6.* & tamen à toto presbyterio eundem ordinatum dicit *1. Tim. IV, 14.* Nec fieri proinde ordinatione debet, nisi in publicâ congregatione & præsentem totâ Ecclesiâ, quod & Zephyrinus Pontifex constituit, *ut præsentibus Clericis & Laicis fidelibus sive Clericus, sive Levita sive Sacerdos ordinetur*, uti habetur in *lib. Pontif.* Sed & refragari & contradicere potuit populus, si quis contra canones ad ordinationis actum admitteretur. De Novato Ecclesiæ Romanæ presbytero Eusebius *lib. 6. hist. c. 43.* Nam cum egregius ille Vir Ecclesiam DEI reliquisset, in quâ post susceptum baptismum Presbyteri gradum fuerat consecutus, idque per gratiam Episcopi, qui manus illi imponens eum ad presbyterorum ordinem evexit. Cui cum univrsus Clerus, multiq; ex populo refragarentur, eò quod non liceret quenquam ex iis, qui urgente vi morbi in lectulo perinde ac ille, perfusi fuissent, in clerum assumi; postulavit ab iis Episcopus, ut hunc solum ordinari a se paterentur.

XXVI. Inde est, quod Theophilus Alexandrinus, in *commonitorio*, quod accepit *Ammon, can. 6.* ordinationis certum præscribere voluit modum, his verbis: *De iis qui ordinandi sunt, hæc erit forma, ut quicquid est Sacerdotalis ordinis, consentiat & eligat, & tunc Episcopus examinet, vel ei etiam assentiente Sacerdotali ordine in mediâ Ecclesiâ ordinet, præsentem populo & Episcopo alloquente, an etiam possit ei populus ferre testimonium. Ordinatione autem non fiat clanculum. Ecclesiâ enim pacem habente decet præsentibus sanctis ordinationes fieri in Ecclesiâ. In regione autem si qui sint, qui communicantium animis communicaverint, non aliter ordinentur, quam iis, qui sunt verè orthodoxi Clerici, examinantibus, præsentem rursus Episcopo & præsentem populum alloquente; ne*

Bbbb

inter-

intercedat aliqua circumventio. Et huc referri debet, quod scribit Chryso-  
stomus homil. 18. in epist. 2. ad Corinth. Audi, quemadmodum Apostolorum tem-  
pore, ipsi persèpe eos, quibus præerant, consiliorum suorum socios adhibebant. Nam  
Et cum septem diaconos crearent, ad plebem prius retulerunt: Et cum Mattiam  
eligerent, de eâ re cum omnibus, qui tunc aderant, tam Viris, quàm mulieribus  
Petrus agitavit. Neque enim hoc imperium in præsentium fastu & arrogantia,  
nec in subjacentium servili quâdam demissione consistit, sed spirituale est, hoc præ-  
cipue excellens, quod pro vestra salutis curâ plures labores suscipiat, non autem  
quod plus honoris requirat. Omnes enim tanquam domum unam, Ecclesiam ha-  
bitare, omnes Et unum corpus affectos esse convenit.

XXVII. Ordinandi hoc jus Apostolos primùm & eorum adjuutores  
exercuisse, nemo dubitat. Post eos presbyteri & pastores, qui collegium  
constituebant & communi consilio Ecclesias gubernabant, simul omnes  
exercitium hoc ordinationis continuabant, ita quidem, ut qui primus tem-  
pore in collegium istud cooptatus & ad munus Ecclesiasticum vocatus es-  
set, actionem dirigeret, reliqui autem non tantum consentirent, sed etiam  
decernerent & manûs simul imponerent. Eo tempore namque inter Epi-  
scopum & reliquos presbyteros nullum tantum fuit discrimen, quantum  
deinceps sensim introductum fuit, natum ex eo, quod ex presbyterorum  
consensu & electione unus presbyter in altiori gradu collocaretur, cui dein-  
ceps alia accesserunt axiomata & prærogativæ, uti fieri solet, cum primùm  
à veteri institutione disceditur. *Alexandria*, inquit Hieronymus epist. ad  
Evagrium 85. à Marco Evangelistâ usq; ad Heracliam Et Dionysium Episcopos  
presbyteri semper unum ex se electum in excelsiori gradu collocatum Episcopum  
nominabant. Quomodo si exercitus Imperatorem faciat, aut diaconi eligant de  
se, quem industrium noverint, Et Archidiaconum vocent. Uti ergo totum Col-  
legium presbyterorum ex se facere potuit Episcopum, quid obstat, quo mi-  
nus etiam reliquos Episcopo inferiores constituere potuerit?

XXVIII. Quod ergo solis Episcopis potestas ordinandi tribui cœpe-  
rit, id seriùs videtur invaluisse, neque ex Apostolorum ævo, multo minus  
ex juris divini dispositione petendum erit. Ipsa tota Episcoporum  
et ceterorum ad consuetudinem refertur ab Hieronymo in epist. ad Tit. c. 1. Hæc  
propterea, ut ostenderemus, apud veteres eosdem fuisse presbyteros quos Et Epi-  
scopos: Paulatim verò, ut dissensionum plantaria evellerentur ad unum omnem  
solicitudinem esse delatam. Sicut ergo presbyteri sciunt, se ex Ecclesiæ constitu-  
tione ei, qui sibi prepositus fuerit, esse subjectos: Episcopi noverint, se magis con-  
suetudine, quàm dispositionis Dominicæ veritate presbyteris esse majores, Et in  
commune debere Ecclesiam regere: imitantes Moysen, qui cum in potestate habe-  
ret solus præesse populo Israel, septuaginta elegit, cum quibus populum judica-  
ret Et cetera. At quod consuetudine invaluit, non potest dici, quod ex jure di-  
vino

vino aut lege introductum sit. Nota est Ulpiani sententia in l. 33. ff. de legib. Diuturna consuetudo pro lege & lege in his, quæ non ex scripto descendunt, observari licet. Atque ideo consuetudo definitur, quod sit jus quoddam moribus introductum, & pro lege suscipitur, cum deficit lex. Neque introduci potest consuetudo, nisi usurpatione & actu frequentiâ. Unde longa dicitur, quod longo usu constituatur. Lex autem & jus constitutum talem actum frequentiam non exigit.

XXIX. Idem Hieronymus post verba ex epist. ad Euagrium supra memorata, brevem hanc addit per modum interrogantis *Ἰηρονομίου*: Quid enim facit, exceptâ ordinatione, Episcopus, quod non facit presbyter? Non quidem hic agit de origine potestatis & præcellentiæ istius Episcopalis, sed solum eminentioris cujusdam *ἐξουσίας* meminit, veruntamen cum alibi differentiam illam, quæ est inter Episcopum & presbyterum ad solam referat dispositionem Ecclesiasticam & consuetudinem receptam, non poterit *ἐξουσίαν* illa aliunde accerfiri. Idem enim Hieronymus in dialogo contra Luciferianos introducit Orthodoxum his verbis loquentem: Quod si hoc loco queris, quare in Ecclesia baptizatus, nisi per manus Episcopi, non accipiat Spiritum Sanctum? quem nos asserimus in vero baptismo tribui; Disce hanc observationem ex eâ autoritate descendere, quod post ascensum primum Spiritus S. in Apostolos descendit. Et multis in locis idem factitatum reperimus, ad honorem potius Sacerdotii, quàm ad legis necessitatem. Alioqui, si ad Episcopi tantum imprecationem Spiritus S. desinit, lugendi sunt, qui in vinculis, aut in castellis, aut in remotioribus locis per presbyteros & diaconos baptizati ante dormierunt, quàm ab Episcopis inviserentur. Eandem pariter Hieronymi circa potestatem ordinandi fuisse sententiam, venire scilicet illam non ex Dominicæ legis necessitate, sed ex observantiâ Ecclesiæ, pluribus ostendit contra Thomam Waldensem Alphonsus à Castro in voce Episcopus. Adeoque certum est, Hieronymum statuisse, nullam jure divino inter Episcopum & presbyterum esse differentiam, sed eam (successu temporis consuetudine & jure Ecclesiastico esse introductam, quod & agnoscit Dominicus Soto in 4. d. 24. q. 2. a. 2.

XXX. Non alia fuit mens & sententia Johannis Chrysostomi, qui dum sollicitus est, cur Apostolus à descriptione officii Episcopalis illico descenderit ad officium diaconorum describendum 1. Tim. 3. nullâ factâ mentione presbyteri status intermedii, hanc reddit rationem: Postquam de Episcopis disseruit, eorumque officium peculiari charactere definiuit, dicens, quidnam eos habere, à quibus idem abstinere oporteat, omisso presbyterorum ordine ad diaconorum officia transit. Cur hoc quæso? Quia non multum interest. Nam & presbyteri assumpti sunt ad docendum populum, & ad præfecturam Ecclesiæ: ideoque que de Episcoporum ordine dixit, etiam presbyterorum ordini congruunt.

Solâ enim impositione manuum adscenderunt Episcopi supra presbyteros, & hoc solum lucri videntur præripuisse presbyteris. *Τὸ γὰρ χειροτονίῳ μόνῳ αὐτῶν ἀναθεσθῆναι, καὶ τὸ τοῦ μόνου δοῦσι πλεονεκτήν τῆς πρεσβυτέρου.* Quæ verba attentè consideravimus *lib. 1.* ibique docuimus, ad factum magis & usurpationem atque invasionem referri hanc Episcoporum prærogativam, quàm ad jus aliquod constitutum ab Apostolis. Eadem verba repetit Theophylactus Bulgarorum Archiepiscopus *in commentar.* qui & aliàs Chrylostomum ita secutus fuit, ut Chrylostomi abbreviator videri possit.

XXXI. Addam Concilii Hispalensis *II. cap. 7.* in quo agnoverunt Patres tùm congregati, non esse ex jure divino aut primævo istam Episcoporum ἐξουσίαν, sed ex novellis constitutionibus Ecclesiasticis, & ex auctoritate canonum. Verba ita habent: *Septimo examine relatum est nobis, venerandissimum quondam Agapium Cordubensis Urbis Episcopum frequenter presbyteros destinasse, qui absente Pontifice altaria erigerent, basilicas consecrarent. Quod quidem non est mirum, id præcepisse virum Ecclesiasticis disciplinis ignarum & statim à seculari militiâ in Sacerdotale ministerium delegatum. -- Nam quamvis cum Episcopis plurima illis (presbyteris) inferiorum communis sit dispensatio, quædam novellis & ecclesiasticis regulis sibi prohibita noverint: sicut presbyterorum & diaconorum ac virginum consecratio, sicut constitutio altaris benedictio vel unctio: siquidem nec licere eis Ecclesiam vel altarium consecrare, nec per impositionem manûs fidelibus baptizatis vel conversis ex hæresi paracletum Spiritum tradere. -- Hæc enim omnia illicita esse presbyteris, quia pontificatûs apicem non habent, quem solis deberi Episcopis auctoritate canonum præcipitur &c.*

XXXII. Nec verò ullum afferri potest ex priorum seculorum historiâ Ecclesiasticâ idoneum testimonium, quo confirmari posset, presbyterum non esse, nec haberi debere, nisi cui manûs solenniter imposuisset Episcopus κατ' ἐξουσίαν ita dictus, ita, ut si alius, præter Episcopum, consecretive ordinet sacerdotem, consecratio illa irrita sit, & invalida. Et ut maximè demus, Episcopis eam progressu temporis assertam fuisse potestatem, nullibi tamen talis aliqua Lex Ecclesiastica promulgata fuit, quæ clausulam contineret irritatoriam, uti vocant, h. e. quæ interdicto suo faceret, ut irritus esset actus ordinationis ab alio, quàm Episcopo, celebratus. Imperfectas vocat Ulpianus tales leges, *in fragment. tit. 1.* quæ fieri quid vetant, sed factum non rescindunt. Et si verò deinceps per legem Theodosii *in l. 5. C. de legib.* inductum sit, ut si quid lex prohibuerit, nec specialiter addiderit, inutile esse debere, quod contra factum fuerit, nihilominus id ipsum casum, inutile & pro infecto haberi debeat; tota tamen nullitatis ratio non descendit ex vi prohibitionis, sed ex vi novæ istius legis Theodosianæ, quæ  
ad

ad canones Ecclesiasticos naturam legis nondum adeptos, applicari nequaquam potest. Sed nec proferri poterit canon istiusmodi Ecclesiasticus, quo prohibitus fuerit presbyter, ne ordinationis actum celebret. Et in hoc probando insignem diligentiam præstitit David Blondellus in *apolog. de Episc. & presbyt. pag. 309. seqq.* Summè placet Guillelmi Antifiodorensium ac exinde Parisiensium Præsulis sententia: *Si essent in mundo tantum tres simplices Sacerdotes, oportet, quod aliquis illorum consecraret alium in Episcopum, alium in Archiepiscopum &c. in 4. sentent. dist. 25.*

XXXIII. Quod *χειροθεσία* attinet, præcipuum in ordinationibus & fere unice olim usitatum ritum & ceremoniam, recepta illa & adhibita fuit apud Ebræos, tam in publicis ac solennibus victimarum consecrationibus, quam in precibus ac benedictionibus privatis, in quibus, qui alicui bene precabantur, indicabant hæc ceremoniam personam, cuius gratiam DEUM interpellabant. Itaque hoc ritu significatum volebant, preces, quas ut plurimum vel pro se ipsis, vel pro multis in communi facere solent, qui precantur, nunc propriè ac singulariter pro isto, cui manus imponebantur fieri, hujus caput DEO fisci vel regendum, vel donis & benedictione ornandum ac coronandum. Eleganter Justinianus in *l. 34. Cod. de Episc. aud.* In diaconorum, presbyterorum & Episcoporum ordinationibus preces ad Dominum mittuntur Christum DEI M nostrum, & invocatio sancti & adorandi sit Spiritus, & eorum capitibus aut manibus imponuntur sanctissima eorum, quæ apud nos sunt, mysteriorum, ut scilicet ipsis sensoria omnia instrumenta pura fiant & consecrentur DEO. Fuit ergo manuum illa impositio precum quoddam quasi symbolum, quod divinæ potentæ invocationem denotare posset. Ejus enim rarò in scripturis sine oratione fit mentio, vel si non disertè memoratur oratio, ita tamen res describitur, ut facile sit perspicere, eam sine precibus transactam non fuisse, ut nihil aliud hic ritus fuisse videatur, quam sacrarum precum adjunctum quoddam certis rebus causisque solenne. Et hinc rectè Augustinus *lib. 3. de baptis. c. 16.* Quid est, inquit, aliud manus impositio, nisi oratio super hominem. Hanc ceremoniam, utpote bonam atque utilem Christus ipse & ejus Apostoli retinuerunt, & quidem eodem modo, & ex iisdem causis & ad eosdem fines, quibus ea adhiberi apud Judæos consueverat. Nec malè ea retinetur adhuc in nostris Ecclesiis, dummodo, quæ à DEO impetrantur dona ordinando necessaria, non ipsi manus impositioni, sed comitantibus precibus adscribantur.

XXXIV. Circa differentiam, quam nonnulli inter *χειροτονία* & *χειροθεσία* constituunt, fatendum est, apud Demosthenem & alios auctores prophanos *χειροτονία* electionis significatum sustinere, quem eundem etiam in canone quarto Concilii Nicæni subinnui volunt Theodorus Balsamon & Johannes Zonaras, sed perperam & ex receptis Ecclesiarum suarum moribus,

bus, postquam non populum tantum, sed ipsos etiam magistratus à jure eligendorum Episcoporum arcuissent. Sæpè autem utraque actio, tum eligendi, tum consecrandi, per vocabulum χειροτονίας denotatur, ita ut χειροτονία etiam χειροθεσίαν sub se comprehendat, & totam præterea λειτουργίαν in ordinatione Episcopi, aut presbyteri aut diaconi adhiberi solitam. Idque forte ex eà ratione, quia duo illi actus electionis sc. & ordinationis connexi olim fuerunt. Aliquando tamen per vocabulum istud sola sacerdotalis consecratio ad prædicandum Evangelium & Sacramenta administranda solet denotari. Atque iste significatus apud Scriptores Ecclesiasticos maxime est usitatus; Scripturæ tamen Sacræ non æquè cognitus. Quod si enim testimonia ex Codice Novi testamenti colligere & collationem instituire quis velit, inveniet, vocabulum chirotoniæ frequentius usurpari pro designatione personæ sacræ ad executionem alicujus officii & ministerii sacri ad certum tempus in loco extraneo, ad quem pastor ordinarius non mittebatur, quam pro ritu sacro, quo persona ad certum locum destinabatur, ut ibi perpetuo maneret, & cultui divino inserviret. Atque illa chirotonia toties solebat iterari & repeti, quoties specialem talem expeditionem committere necesse esset. Ita Apostolus 2. Cor. VIII, 19. loquitur de comite & socio Titi, quod non solum magna ejus laus sit per omnes Ecclesias in Evangelio (h. e. in prædicatione vel ob prædicationem Evangelii, ad cujus ministerium jam ante ordinatus fuerat;) sed etiam quod electus sit, χειροτονήσῃς; ab Ecclesiis, ut socius esset peregrinationis Paulinæ. Quæ chirotonia planè alia fuit à consecratione, quâ adobeundum officium prædicationis Evangelicæ jam ante ordinatus fuerat. Idem apparet ex Act. XIII, 2. 3. ubi Paulus & Barnabas per chirotoniam vel chirothesiam separati fuerunt ex mandato Spiritus S. non à Laicis, sed à reliquo cœtu clericorum, cujus ipsi partem constituebant.

XXXV. Ordinationis vocabulum in Ecclesiâ Africanâ non illis tantum qui majoribus ordinibus sunt insigniti, sed minoribus etiam, ut acolytho, exorcistæ, Lectori, & Ostiario applicatum fuisse patet ex canonibus Concilii Carthaginensis IV. quos recenset Gratianus c. acolythus & seqq. dist. 23. Græci tamen distinctionem faciunt, & illos, qui ad majores ordines promoventur, χειροτονείας, qui ad minores, σφεγγίσεις, reliquos adhuc inferiores περιβάλλεις dicunt. Sic enim commentatur Theodorus Balsamon ad can. 2. Concilii Chalcedonensis: Episcopi, Chorepiscopi, presbyteri, diaconi, subdiaconi χειροτονούνται, ordinantur: Cantores, Lectores, Presides & alii σφεγγίζονται, caractere designantur: Oeconomi autem, chartularii, paramonarii & alii περιβάλλονται promoventur. -- -- Ordinationis nomine etiam caractereis impressio σφεγγίς, comprehenditur, ut per manum facta; sed non itidem promissio,

tio. Ad eundem modum etiam Zonaras *ibid.* Alii quidem, quo in numero Episcopi, presbyteri, diaconi & hypodiaconi sunt, ordinantur; nonnulli, ut Lectores, Cantores ac hujusmodi alii, quod ipsum non sine manuum impositione contingit, solo charactere signantur, *οἱ δὲ σφραγίζονται μόνον, καὶ τὰ τοῦ δεῦρο χειροθεσίας ἐστίν, αὐτοὶ δὲ ἐκείνων, ὡς ἐκείνων.* Fatentur ergo & majores & minores ordines per *χειροθεσίας* conferri, sed ita ut *χειροθεσία* ista in majoribus *χειροτονίας* efficiat, in minoribus *σφραγίδα* tantum conferat. Quid verò *χειροτονίας* nomine intellectum velint, dubium relinquunt Lectorem.

## CAP. IX.

## De jure consecrandi virgines.

## I.

**V**irginitatis & continentie laus eximia semper fuit apud plerasque gentes moratior, nisi quod Romanorum Imperator Augustus, cum Legem Papiam Poppæam sanciret, maritis præmia, cœlibibus verò pœnas constituendo, parum propitium se erga cœlibatum gesserit. Nec tamen improbari poterit hoc ejus factum, si justitiam causæ moventis consideraverimus. Invenerat enim, recensito equitum Romanorum numero, superiorem esse numerum illorum, qui cœlibes essent, quam eorum, qui haberent Uxores; & erat tamen Urbs propter bella civilia, civibus suis penè exhausta, ut adeò necesse esset damnum istud quocunque modo reparari, & tum præmiis, tum pœnis propositis auctiorem civitatem reddere. Cœlibatui verò, quam indixerat pœnam, non protinus ad continentiam applicari voluit. Quæ enim perpetuam virginitatem servassent, non immunes tantum erant à pœnis cœlibum, sed eisdem eadem, quæ matribus præmia largitus est, ut refert Dio *hist. Rom. lib. 56.* Sed de aliarum gentium & gentilium institutis nobis nunc non licet esse sollicitis. Potius agamus id, cuius gratiâ laborem hunc suscepimus.

II. Apud Christianos itidem à primis fundatæ Ecclesie initiis semper magno in precio fuit virginitas & continentia. Scribit Athenagoras *apolog. pro Christian.* *Ἐυραὶ δ' ἂν πλεῖς τῶν παρ' ἡμῖν, καὶ ἀνδρας καὶ γυναῖκας, καταγγελάσκοντας ἀγαπᾶς, ἐλπίδι τῶν μάλλον σωθῆναι τῷ Θεῷ.* Et Justinus *Martyr. apolog. 2. pro Christian.* *Πολλοὶ πνεις καὶ πάλαι, ἐξήκοντα, καὶ ἑβδομηκοντα, ὄντων παίδων ἐμαθητύησαν τῷ Χριστῷ, ἀφ' ὧρα διαμένουσι.* Mintutius Felix in Octavio: *Pleriq; inviolati corporis virginitate perpetuâ fruuntur potius*